

*Matrimonio* diximus; item vota castitatis vel religionis, ex metu etiam levi injuste incusso emissa, quia non sunt omnino perfecta. Si ex gravi metu ad ea extorquenda incusso emitterentur, irrita forent, ut supra diximus, p. 291.

3º Vota dubia, id est, si dubitetur an vera fuerit promissio, an sufficiens deliberatio, an intentio se obligandi, an exstiterint omnia ad reservationem requisita, non reservantur, quia, ex principio quod odiosa sint restringenda, debent esse omnino certa.

4º Vota alternativa, quorum una pars non est reservata, v. g., votum ingrediendi religionem vel perpetuo jejunandi, votum limina Apostolorum visitandi, aut mille fr. in pauperes erogandi, non sunt reservata, quia non sunt perfecte determinata in sensu reservationis. Idque verum est, inquit recte *Ferraris*, etsi progressu temporis pars non reservata facta fuerit impossibilis, et vovens ad alteram partem obligetur, quia talis primitus non fuit intentio determinata.

5º Vota conditionata vel poenalia, v. g., votum perpetuae castitatis vel ingrediendi religionem si mater sanitatem obtineat, si vovens in fornicationem inciderit, eodem modo dispensabilia sunt ab episcopo; quia, cum hæc vota non sint absoluta, non censentur omnino perfecta etiam conditione adimpta, ut communius tenent auctores contra plures, ut videre est apud *Ferraris*, art. 3, n. 86, et apud *S. Ligoriū*, l. 3, n. 261.

6º Prædicta quinque vota non reservantur, quoad circumstantias accidentales a vovente adjectas; v. g., si quis voverit mendicando ire Romam, pedester Compostellam, strictissimam ingrediendi religionem, ab episcopo obtainere potest dispensationem ut eat Romam aliter quam mendicando, Compostellam aliter quam pedibus, ut religionem minus strictam ingrediatur, etc., quia hæc ad substantiam voti reservati non pertinent.

*Notandum* 1º insuper episcopum a voto summo Pontifici reservato dispensare posse ratione gravis et urgentis causæ, ubi recursus ad Papam non est moraliter possibilis: quia reservatio in illo casu non esset in ædificationem,

sed in destructionem. Sic generatim auctores, qui tantum disputant an episcopus sic dispensem jure ordinario, ut multi volunt, an vero ex delegatione summi Pontificis præsumpta, ut alii non pauci contendunt. Prior sententia probabilior nobis videtur, sed hæc quæstio nullius est momenti in praxi, et ideo ab ea discutienda abstinemus. Hinc ubi difficilis est accessus ad Papam et in mora periculum est infamiae, scandali, rixarum, sponsalium dissolutions, etc., episcopus a voto perpetuae castitatis dispensare potest non absolute et in perpetuum, sed eo modo qui ad removendum periculum sufficiat. *Ita communiter.*

*Notandum* 2º neque episcopum neque Papam ipsum, habere potestatem dispensandi a voto in gratiam alicujus tertii emissi et acceptato, exceptis casibus supra expositis ubi de dispensatione juramenti; et eadem hic redeunt rationes.

*Notandum* 3º juramenta in materiis votorum summo Pontifici reservatorum, sive facta fuerint ad confirmanda vota, sive absque votis, pariter reservari, quia in jure votis æquiparantur quoad reservationem. *Ita Collat. Andeg.*, t. 4, qui dicit hanc esse communem auctorum sententiam; *Collet, Dens*, asserens etiam sententiam esse communem. Plures negant apud *S. Ligoriū*, et ipse *S. Ligoriū*, n. 259.

Attamen communius aestimant auctores eum qui habet potestatem delegatam dispensandi a votis vel illa commutandi, non ideo a juramentis dispensare aut illa commutare posse, quia vincula sunt diversa: hanc solam opinionem tuto sequendam esse affirmat *S. Ligoriū*, l. 3, n. 190.

7º *Per commutationem.* Commutatio voti est translatio obligationis ab una materia ad aliam, et sub eo nomine comprehenditur redemptio voti, id est mutatio obligationis personalis in aliiquid reale.

Tripli modo hæc mutatio fieri potest, nempe in melius, in æquale et in minus bonum.

1º Unusquisque propria auctoritate votum in aliiquid evidenter melius commutare potest, ut nunc communiter

docetur contra graves antiquos autores et contra nonnullos recentiores inter quos *Dens*, t. 4, actum ecclesiasticæ auctoritatis requirentes; quod enim evidenter melius est, Deo est magis gratum, ut diximus ubi de commutatione juramenti. Illud autem non reputandum est melius, quod in se præstantius est, sed quod, attentis personæ, temporis et loci circumstantiis, ad salutem magis congruit, et aliunde non est præceptum; volum quippe de re non præcepta in rem præceptam commutari non potest sine actu jurisdictionis.

2º Commutatio in bonum æquale propria auctoritate fieri non potest, quia, licet bonum æquale æqualiter ex se placeat Deo, illud quod ex voto promissum est quamdam eo ipso habet bonitatem objectivam quæ in alio æquali non reperitur. Est communior et probabilior sententia, inquit *Ferraris*, art. 3, n. 118, et *S. Ligorius*, l. 3, n. 244. Unde aliqua requiritur causa; major propensio vel minus periculum transgrediendi sufficit, si bonum sit evidenter æquale, et, in dubio, notabilis molestia in implendo. Ita *Lessius*, *Busenbaum*, *S. Ligorius*, etc.

3º A fortiori commutatio in minus bonum fieri non potest nisi ab habentibus potestatem, et ob justam causam, minorem quidem quam ad dispensationem, et tamen sufficientem, sub pena nullitatis, propter rationem ubi de dispensatione allatum; hæc enim commutatio quamdam includit dispensationem. Est sententia communior et probabilior, contra plures tamen graves autores qui volunt commutationem sine causa esse graviter illicitam, sed validam: ad legitimam igitur commutationem, sicut ad dispensationem, tria præcipue attendenda sunt, videlicet, *quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expeditat secundum utilitatem.*

4º Quantum fieri potest, votum personale commutari debet in personale, reale in reale, mixtum in mixtum, temporale in temporale, perpetuum in perpetuum, ut magis servetur proportio. Sæpe tamen legitimæ occurruunt rationes aliter agendi, et vitandæ sunt auxietates, tum in commutante, tum in votum habente.

5º Omnes qui habent facultatem dispensandi, sive ordinariam, sive delegatam, eo ipso in iisdem votis obligationem commutare possunt, siquidem commutatio minor est dispensatione; sed qui a votis reservatis dispensare non possunt, ea pariter commutare nequeunt, quia jurisdictionem in illa non habent. Item qui ex delegatione vota commutare possunt, non ideo ab illis dispensare queunt.

6º Tempore Jubilæi confessarii commutare possunt, ex speciali Pontificum concessione in bullis expressa, omnia vota simplicia et etiam reservata, exceptis votis perpetuæ castitatis et religionis approbatæ, ac votis in favorem tertii emissis et acceptatis. Verum ut probabilius docetur potestatem commutandi delegatam, qualem habent dicti confessarii, intelligendam esse de commutatione in bonum moraliter æquale, « ita ut parva credatur esse differentia, » et nullus excessus manifeste appareat, » ait *S. Ligorius* n. 247. Circa hanc facultatem confessariis pro Jubilæo approbatis concessam, vide opus nostrum gallicum: *Traité des Indulgences.*

7º Ille cuius votum fuit in minus vel in æquale bonum commutatum, ad primum semper redire potest, si velit, quia commutatio in ipsius gratiam facta est et non includit præceptum: si vero commutatio facta sit in melius cognitum et acceptum, *Suarez* et plures cum illo negant voventem ad primum redire posse; sed *Sanchez*, *Layman*, *S. Ligorius* et alii affirmant, quia etiam in hoc casu commutatio fit in favorem voventis. Excipiendum est nisi vovens expresse voluisse erga Deum ad melius se obligare. In dubio præsumendum est noluisse ita se obligare, juxta *S. Ligorium*, aliis contradicentibus.

8º Si materia voti legitime commutati fiat impossibilis vel indifferens, vovens ad prius redire non tenetur, licet ipsius culpa hæc impossibilitas contigerit, quia obligatio prioris per auctoritatem commutantis extineta est: securus dicendum foret si mutatio propria voventis auctoritate facta fuisset in melius, quia ejus obligatio extincta non fuisset.

9º Qui habet potestatem vota aliorum commutandi propria in pari circumstantia commutare potest, sicut et secum dispensare valeret in iis circumstantiis in quibus cum aliis dispensat. Ita *Sanchez*, *Bonacina*, *Suarez*, *S. Ligerius* et alii communiter. Excipitur nisi haberet facultatem delegatam et limitatam, v. g., ad talem personam, ad suos pœnitentes, etc.

§ II. — De statu religioso.

Dicemus 1º de statu religioso in genere, 2º de votis religiosis in specie, 3º de origine et distinctione religionum, 4º de conditionibus ad admissionem candidatorum requisitis, 5º de novitiatu, 6º de professione religiosa, 7º de effectibus professionis religiosæ, 8º de privilegiis religiosorum, 9º de ejectione professi et ejectedi obligationibus; et in 10ª sectione specialiter dicemus de monialibus.

SECTIO PRIMA. — De statu religioso in genere.

1º Vox *status* generaliter sumitur pro quavis vitæ conditione, sive ad tempus, sive in perpetuum; quo sensu dicitur status ecclesiasticus, status saecularis, status virginum, status viduarum, status conjugatorum; specialiter autem pro immobili vitæ conditione: hanc firmitatem importare videtur nomen *status*, et certe eo sensu accipitur status religiosus, qui communiter definitur: *Immobilis fidelium ad divinæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae paupertatis, obedientiae et castitatis, in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus*.

Dicitur *immobilis*, alioquin non esset status proprio dictus: unde qui paupertatem, obedientiam et castitatem sine voto servaret, non esset religiosus.

Dicitur *ab Ecclesia approbatus*, quia status religiosus est supernaturalis, a communi statu Christianorum distinctus, a Christo institutus et Ecclesiæ directioni subjectus, id est, jurisdictioni eorum quibus cura Ecclesiæ fuit commissa, videlicet summi Pontificis et episcoporum: perfecta enim hujus status immobilitas duo importat, nimi-

rum absolutam personæ traditionem et acceptationem ex parte Dei, seu nomine Dei, et quidem externam, cum vobis constituendus sit in statu externo et permanente: porro sola Ecclesia talem dirigere potest contractum illuinique ritu externo per suos Pontifices nomine Dei acceptare. Ergo.

2º Plures olim religiones, ut S. Basilii, S. Aug., S. Benedicti, a solis episcopis, quibus hi suberant, fuerunt approbatae; sed Innocentius III, in concil. Lateran. IV, anno 1215 celebrato, in Decretal. l. 3, tit. 36, cap. 9, relatus, sic habet: « Ne nimia religionum diversitas gravem in » Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus » ne quis de cætero novam religionem inveniat; sed qui » cumque ad religionem converti voluerit, unam de ap- » probatis assumat. » Idein propriis verbis statuit Greg. X, in concil. Ludg. II, ann. 1274, ut in Sexto habetur, l. 4, tit. 17, cap. unico. Cum episcopi a constitutione Papæ et concilii generalis dispensare nequeant, jus novas approbandi religiones ab eo tempore reservatum fuit Pontifici Romano, qui de facto, non obstante prohibitione, plures approbavit.

Juxta *Suarez*, de statu relig. l. 2, cap. 2, præcedentia decreta ex communi theolog. sententia applicanda sunt ipsis congregationibus, sive virorum, sive mulierum, in communitate sub aliqua regula, cum regularium statutis similitudinem habente, viventium: at mos prævaluit ut episcopi pia hujusmodi instituta approbarent. Sæpe tamen ad majorem ipsis conciliandam firmitatem, sanctæ Sedis approbationem totis viribus sollicitant.

3º Ipse Christus statum religiosum substantialiter instituit hortando ad perfectionem, et conditionem ejus determinando, dicens adolescenti eum interroganti, Matth. xix, 21: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me.* Non exprimitur hic præceptum, agitur de voluntaria perfectione: reperitur absoluta paupertas, adhæsio Christo, seu obedientia, et abnegatio uxoris, seu continentia, in his verbis: *Veni, sequere me*, postquam omnia vendide-

ris et distribueris. Unde B. Petrus, nomine omnium Apostolorum statim respondens, dixit ei : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te*; id est, hæc quæ ad perfectionem requiris facimus, vivendo in paupertate, obedientia et castitate. Apostoli igitur in praxi et substantialiter primi fuerunt religiosi.

4º Tria paupertatis, obedientiæ et castitatis vota ad essentiam religionis jure divino pertinent, ut infertur ex verbis Christi citatis, ex traditione, ex communi doctorum consensu, post *S. Th.*, 2 2, q. 186, art. 6. Unde nec ipse summus Pontifex efficere potest ut aliquis vere sit religiosus, et tria prædicta vota non emittat, ut agnoscit Innocentius III, in *Decretal.*, l. 3, tit. 35, cap. 6, in fine dicens : « Nec æstimet abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare ; quia abdicationis proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere. » Si autem tria vota ad essentiam status religiosi non pertinerent jure divino, seu ex institutione Christi, procul dubio summus Pontifex ab illis dispensare posset, efficiens ut quis ea vel aliquid ex eis non custodiens, nihilominus religiosus esset. Ergo.

5º Fatendum est tria vota paupertatis, obedientiæ et castitatis congruentissime a Christo assignata fuisse pro constituenda status religiosi essentia; persona enim hominis tria principaliter habet, ad quæ omnia ad ipsam pertinentia referuntur, animam, corpus et bona externa : atqui hæc tria Deo perfecte consecrat per vota obedientiæ, castitatis et paupertatis, et sic adimpler consilia Christi ad perfectionem vocando dicentis : *Vade, vende quæ habes; sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cœlorum*, Matth. xix, 12 et 21; *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et sequatur me*, ibid. xvi, 24.

6º Sequitur ex dictis, et communiter docentes auctores, nullos proprios dictos existisse religiosos ante Christum, quanquam Nazarei, cunei prophetarum Deo psallentium de quibus in I Reg., x, Elias et Eliseus cum suis discipu-

lis aliquo modo duxerint vitam cœnobiticam, quia non existebant vota essentia religionis constitutiva. Etiamsi quidam homines illa emisissent, non ideo veri religiosi fuissent; deerat enim institutio Dei et acceptatio nomine ejus externa.

7º Dicimus autem Christum statum religiosum instituisse quoad substantiam, quia communiter tenent doctores illum accidentalia ejusdem status Ecclesiæ determinanda reliquisse; sic plurima sacramentorum accidentalia non determinavit, sed jurisdictioni Ecclesiæ concessit : unde Ecclesia in dispensatione sacramentorum multa statuere et mutare potest, *salva eorum substantia*, ut ait concil. Trid., sess. 21, cap. 2; ita et in votis religiosis multa statuere aut mutare potest, salva eorum substantia. Hinc solemnitatem eorum subtrahere potest, et revera Greg. XIII eam de facto subtraxit, definiens in bulla *Ascendente Domino*, vota scholasticorum in societate Jesu, post duos annos probationis emissâ, esse simplicia, et tamen qui ea emiserint vere esse religiosos. Vota igitur simplicia sufficere possunt, ex approbatione Ecclesiæ, ad constituendum statum religiosum ; ubi enim sunt valida et nomine Dei per Ecclesiam acceptata, constituant hominem in statu externo permanente, a quo seipsum liberare non potest. Unde solemnitas votorum est quidem de natura status religiosi, quia juxta disciplinam generalem Ecclesiæ exigitur, sed non est de eorum essentia, et ideo Ecclesia ab ea dispensare potest. Vide *Benedict. XIV*, de *Synodo diœces.*, l. 13, cap. 11, n. 29.

8º Hinc sequitur Papam in votis solemnibus dispensare posse, quidquid in contrarium dicat *Billuart*, cum plerisque Thomistis, dissert. de voto, art. 9; etenim 1º solemnitas votorum ex solo jure ecclesiastico fuit instituta, ut constat ex *Extrav. Joan.* XXII, tit. 6, cap. unico, et ex bulla *Ascendente Domino*, in qua Greg. XIII dicit : « Nos considerantes voti solemnitatem sola constitutione Ecclesiæ inventam esse, etc. » Ergo summus Pontifex ea omnia potest in votis solemnibus quæ in votis simplicibus; at juxta omnes dispensare potest in votis simplicibus :

ergo et in solemnibus. 2º Benedictus IX, hac utendo potestate, permisit Casimiro, diacono et Cluniacensi monacho, ad regnum Poloniae vocato, ut non obstante voto solemnis castitatis, uxorem duceret; et Pius VII, temporibus nostris, plures hujus generis dispensationes monialibus ac monachis solemniter professis concessit ad revalidanda matrimonia sacrilege inita. Ita communissime nunc sentiunt theologi, et opinio Billuart videtur singularis ac momentis nullius roboris innixa.

SECTIO SECUNDA.— De tribus votis religiosis in specie.

In triplici punto examinabimus 1º quænam obligatio incumbat religiosis in genere, ratione votorum paupertatis obedientiae et castitatis; 2º quænam pro eis nunc specialiter obligatio in Galliis; 3º quænam pro eis in genere sit obligatio ratione constitutionum et regularum.

Punctum primum.— *De obligatione votorum pro religiosis in genere.*

*De voto paupertatis.*

1º Paupertas religiosa, secundum jus commune et strictum, est voluntaria abdicatio, voto firmata, omnium rerum temporalium mobilium et immobilium, quoad proprietatem, usum et usumfructum, irrevocabiliter et sine ulla reservatione. Hoc constat ex pluribus juris canonici capitibus, præsertim cap. 6, tit. 35, l. 3 Decretal. supra citato; ex concilio Trid., 25, cap. 2, de regul. et monial. et communī doctorum interpretatione.

2º Votum religiosum paupertatis jure communi reddit omnino incapaci dominii, adeo ut existens dominium destruat, et subsequens impedit. Attamen de essentia ejus non est ut omne dominium abjiciatur; nam ex variis monumentis constat antiquos religiosos quasdam habuisse proprietates, potuisse succedere et testamenta condere, ut fuse ostendit Suarez, t. 3, p. 415 et seq. Ex bulla Greg. XIII, *Ascendente Domino*, religiosi societatis Jesu, post emissā prima vota, vere sunt religiosi, et tamen re-

tinent et acquirere possunt dominium radicale honorum temporalium. Non habent jus actuale de illis pro arbitrio suo disponendi ac utendi, et in hac abdicatione consistit essentia paupertatis religiosæ ex disciplina jam pridem recepta. Efficere enim posset Ecclesia, juxta Suarez aliosque, ut sufficeret paupertas in gradu adhuc inferiori.

3º Concil. Trid., sess. 25, cap. 2, de Regul. ait: « Neminini regularium tam virorum quam mulierum licet bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatibus fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus, possidere vel retinere; sed statim ea superiori tradantur et conventui incorporentur. » Nihil ergo excipitur: quicumque actus proprietatis voto paupertatis adversatur, ac proinde est peccatum grave vel leve, juxta gravitatem vel levitatem materiæ. Inde plura inferuntur, nempe 1º religiosos ac moniales peculium proprium habere non posse, neque magnum neque parvum, sed omnia etiam quæ ipsorum occasione acquiruntur in communi esse ponenda, et dispositioni remittenda solius superioris, qui ea, secundum prudentiam suam, pro bono generali applicare debet; 2º nihil proprio nomine acceptare posse, quovis titulo, neque a parentibus aut consanguineis, neque ab aliis personis, et quod sic acceptatum fuisset communitatæ incorporandum foret, secundum verba concilii Trid. superioris citata; 3º nihil ex bonis communibus neque ex iis quæ sibi ad usum tribuuntur dare aut commodare posse, sine licentia superioris; 4º neque pauperibus erogare posse ea quæ parcus vivendo sibi subtraherent, quia haec non consumpta ad communitatem pertinent, nisi forte certa portio ita alicui religioso assignaretur, ut nihil aliud petere posset, nec ullam rationem reddere deberet; tunc quidquid sibi subtraheret vel residuum foret in usum honestum, juxta beneplacitum suum, impendere posset, inquit S. Ligoriū, l. 4, n. 23; 5º neque ea quæ sibi tradita sunt ad usum, v. g., vestes, libros, instrumenta, occultare posse, ne superior illa velit auferre et aliis tradere; 6º neque propriæ et cum affectu proprietarii dicere posse:

Mea cellula, mei libri, mea vestimenta; at his verbis indicare possunt usum de facto; 7º legatis sibi personaliter factis aut hæreditatibus sibi advenientibus renuntiare non posse, quia hæc in utilitatem communitatis cedere debent, et aliunde sunt jura vera quibus renuntiare nequeunt sine actu proprietatis: non tenentur tamen ex religione munera sibi oblata pro monasterio acceptare, quia votum paupertatis non obligat ad aliquid acquirendum; sed acceptata restituere nequeunt, quia jam facta sunt monasterii propria; 8º eos licite quidem indicare posse superiori usum in quem desiderarent bona sibi obvenientia vel in censum vitalium supra dotem soluta impendi, sed ipsis cavendum esse ne conditionem imponere videantur, aut propriam voluntatem determinatam, quia voto paupertatis contrairent.

4º Nunc investigandum est quale sit peccatum in his actibus contra religiosam paupertatem. In assignanda autem materia ad constituendum peccatum mortale requisita valde scinduntur theologi, et idcirco tale periculum caute devitandum est. Attamen ubi agitur de his actibus qui, rem dando aut destruendo, injuriam communitati faciunt, generaliter convenient eam saltem requiri quantitatem quæ in furto necessaria est. Plures volunt tantam requiri quanta requiritur in furto filiorum-familias, id est, probabiliter duplo majorem quam in furtis extraneorum. Alii contradicunt, et *Billuart* distinguit inter ea quæ usu consumuntur, ut esculenta ac poculenta, et res permanentes, ut sunt pecuniae, supellectilia et similia: æstimat in priori casu eamdem requiri quantitatem ad constituendum peccatum mortale ac in furtis filiorum-familias, quia superiores in his succedunt parentibus, et non censentur inviti quoad substantiam, sed tantum quoad modum. In posteriori vero casu dubitat, quia, ex una parte, religiosi ac moniales sunt membra communitatis ad quam bona ista pertinent, et, ex altera parte, proprietatem eorum nunquam habere poterunt.

Hoc unum nobis videtur certum, scilicet, quantitatem ad constituendum peccatum mortale requisitam, debere

esse majorem vel minorem secundum majorem vel minorem injuriam quæ monasterio infertur, et ex variis circumstantiis, judicio viri prudentis æstimandum esse.

In cæteris vero actibus paupertati religiosæ oppositis, qui rebus monasterii aut nullatenus aut leviter tantum nocent, major requiritur materia ad peccatum mortale, tum quia non fit aut levis tantum fit injuria monasterio, ut supponitur, et peccatur solum contra religionem: tum quia superior minus est invitus. Ita *Billuart*. Unde minus peccat, cæteris paribus, qui recipit quam qui dat, qui dat fratribus quam qui dat extraneis, etc.

5º Quæ huc usque dicta sunt directe applicantur iis qui in ordinibus stricte regularibus professionem emiserunt. Plures sunt insuper religiosæ congregations, ubi simplicia tantum emittuntur vota, ut congregatio presbyterorum Missionis, vulgo *Lazaristes*, congregatio sororum Charitatis S. Vincenti a Paulo, congregatio fratrum Doctrinæ Christianæ, etc. Qui in hujusmodi congregationibus profitentur, dominium bonorum acquisitorum et jus nova acquirendi retinent, sed tum acquisitis, tum acquirendis absque superioris licentia uti nequeunt. Tales etiam sunt personæ quæ, perfectionis causa in mundo remanentes, vovent paupertatem, id est facultatem sibi interdicunt bonis suis utendi sine confessarii alteriusve superioris licentia.

His igitur omnibus applicanda sunt quæ supra diximus, non quidem de proprietate, sed de usu bonorum, cum duplice tamen differentia; prima, quod, ad constituendum peccatum mortale in persona disponente, contra votum paupertatis, de bono cuius dominium radicale retinet, major requiratur quantitas quam in ea quæ disponeret de bonis cuius dominium non haberet; secunda differentia est quod, in priori casu, dispositio esset illicita, sed valida, et in posteriori, esset simul illicita et nulla. Unde, in priori casu, suscipiens, ut pote peccato disponentis cooperans, peccaret, sed ad restitutionem non teneretur; secus in posteriori casu, ut patet

In congregationibus ergo, in quibus simplicia tantum

emittuntur vota , qui voverunt , jam propriis bonis nullo modo licite uti possunt sine licentia recte obtenta : superiores autem actus proprietatis inferiorum suorum sapienter dirigere debent , et , saltem communiter , exigere nequeant ut inferiores bona sua dent congregationi , vel ad talem aut talem piam operam adhibeant . Pro bono religionis et honore religiosarum communitatum , valde optandum est ut familiae locum non habeant rationabiliter conquerendi quod bona patrimonalia ab ipsis ad communitates transferantur .

6º Ut ergo regulares utriusque sexus de rebus temporibus licite disponere possint , intra limites religiosae paupertatis , quatuor requiruntur conditiones , videlicet 1º ut iis non utantur tanquam suis , nec ea quorum dominium haberent ullo modo per seipso tanquam proprietarii administrarent ; 2º ut veram et rationabilem habeant superioris licentiam : unde si metu , fraude , dolo , vexationibus , molestiis , allegatione falsi aut reticentia veri , vel absque rationabili causa , talem obtinerent licentiam , ea minime excusari possent ; et bona communia sic data accipientes , ea retinere non deberent ; quod certum est in hypothesi licentiae extortae , et probabilius in hypothesi licentiae absque rationabili causa concessae , quia probabilius videtur superiorum valide hujusmodi concedere non posse licentiam sine causa honesta et rationabili . Vide 3. *Ligorium* , l. 4 , n. 31 . Non semper necesse est ut licentia sit expressa ; sufficit enim tacita seu implicita , quæ , scilicet , rei cognitionem in superiore supponit , et ex circumstantiis prudenter judicatur adesse , quia expressi et taciti eadem est virtus , idem judicium , modo concessio re ipsa existat . « Unde , inquit » *Ferraris* , verbo *Votum* , art 2 , n. 127 , in illis religionibus » et monasteriis ubi viget legitima consuetudo aliqua re- » cipiendi , retinendi , expendendi , donandi et hujusmodi , » sine expressa superioris licentia , excusantur religiosi ac » religiosæ a peccato proprietatis , ratione licentiae tacitæ . » Licentia autem præsumpta non sufficit , quia revera non existit , nisi tamen res urgeat et superior adiri nequeat . Tunc enim censetur , ex consuetudine , velle ut licentia ejus

non exspectetur , modo tota res quamprimum ipsi expōnatur . Ita *Antoine* , t. 4 , p. 268 . Non autem requiritur ut licentia singulis vicibus concedatur , sed , concessa sine limitatione temporis , valet saltem pro toto tempore superioris concedentis , et probabilius sub alio superiore succedente , donec revocata fuerit . 3º Ut eis utantur juxta modos in suis constitutionibus expressos , quia unusquisque tenetur ad paupertatem eo modo quo eam Deo promisit ; illam autem Deo promisit juxta modum in suo ordine usitatum , præscriptum et approbatum . Hinc alio modo tenentur religiosi mendicantes , et alii religiosi non mendicantes . 4º Ut eis utantur servata modestia et honestate ; id est , in rebus sibi ad usum concessis vitare debent superfluitatem , curiositatem et pretiositatem , ita ut si in illis notabiliter excederent , graviter peccarent , ut communiter docent auctores . 5º Hæc porro applicanda sunt øconomia aliisque officialibus in dispensatione bonorum quæ ipsis ratione munieris commissa sunt ; imo ipsis religionum prælatis , qui contra votum et sinul contra justitiam peccarent , si bona conventus aut congregationis aliter impenderent aut impendere permetterent quam regula ordinis aut probata consuetudo , vel superiorum majorum voluntas permittit , quia non sunt hujusmodi bonorum domini , sed administratores .

8º Licentia a superiore petita et indebita negata a transgressione non eximeret , nisi vera urgeret necessitas quæ a lege gravi excusaret , et similiter a voto excusus debet . Superior autem nulli religioso vel moniali licentiam concedere potest rem possidendi vel ea utendi tanquam si proprietarius esset , quia tunc essentiam voti paupertatis destrueret . Solum igitur usum permittere potest juxta suum beneplacitum : non agnoscit limites , modo adsit causa rationalis .

9º Monasteria tam virorum quam mulierum , exceptis , in ordine Franciscano , domibus Fratrum Minorum de Observantia et Fratrum Minorum Capucinorum , bona non solum mobilia , sed et immobilia possidere possunt in communi , ut expresse habetur in concilio Trid. , sess. 25 ,

cap. 3, de Regul. Superiores ea prudenter ac discrete administrare possunt, juxta constitutiones sui ordinis, et non aliter : contra votum, sicut simplices religiosi, peccarent, si aliquo modo uterentur illis tanquam proprietarii.

Bona immobilia et mobilia pretiosa alienare non possunt sine consensu capituli et approbatione superioris majoris. Quis autem est superior? Ex Extrav. commun., l. 3, cap. *Ambitiosæ*, est Papa; ex decreto Cong. Concilii Trid. anni 1624, est ipsamet congregatio. Verum nec Extrav. *Ambitiosæ*, nec decretum Cong. concilii in Gallia fuerunt recepta. Major igitur superior est generalis ordinis, vel episcopus aut superior ab ipso præpositus monasterio, si agitur, ut plurimum, de monialibus ipsi subjectis.

*De voto obedientiae.*

1º Obedientia religiosa est votum quo quis se obligat in religione approbata ad obediendum legitimo superiori in iis quæ ad observantiam regulæ et constitutionum ordinis pertinent. Hæc definitio ab omnibus moraliter admittitur. Hinc votum obedientiae non imponit obligationem 1º obediendi superiori illegitimo, qui jus præcipiendi non habet; 2º nec obediendi in iis quæ a vita regulari aliena essent; 3º nec in iis quæ contra vel supra regulam aut constitutiones proprii ordinis essent; principium enim obligationis votorum est intentio voventis: porro qui in uno instituto religionem professus est, obedientiam promisso non censemur secundum aliam regulam aliasve constitutiones, nec probabiliter secundum regulam primitivam sui ordinis tempore suæ professionis multum relaxatam; quia professionem emittendo, præsentem regulæ statum et non primitivum naturaliter intendere debuit, et non tenetur ultra id quod prævidit et voluit. Vide *S. Ligorium*. l. 4, n. 44.

2º Regularis ergo superiori legitimate præcipienti inobediens, duplex admittit peccatum, unum contra præceptum naturale, et alterum contra votum. Hoc peccatum est mortale aut veniale, juxta gravitatem materiæ, ut patet ex

dictis in tractatu *de Legibus*, et juxta voluntatem superioris; certum est enim superiorum habere jus præcipiendi sub gravi in materia gravi; sed potest etiam præcipere sub levi, vel tantummodo consulere. Exquirenda est igitur vera ipsius intentio.

Non censemur autem præcipere sub gravi, etiam dicendo: *Jubeo, præcipio, etc.*, nisi addat, *in nomine Jesu Christi, in virtute obedientiæ, sub pena excommunicationis*, aut aliter clare ostendat se stricte obligare velle. Ita *Sanchez, Vasquez, Suarez, Busenbaum, Billuart, Ferraris, S. Ligorius* aliique auctores religiosi, qui extensionem voti obedientiæ perfecte norunt. Si alia utatur forma, censemur tantum obligare velle sub culpa veniali, et aliquando sub nulla; hoc colligi potest ex modo præcipiendi, ex qualitate et quantitate rei præceptæ. *Est sententia communis.*

3º Subditus obediare non tenetur, vi sui voti, superiori rem impossibilem aut evidenter illicitam, aut graviter damnosam præcipienti; non potuit enim se obligare ad rem impossibilem aut evidenter illicitam et non censemur se obligare voluisse ad rem sibi graviter damnosam, nisi agatur de officiis intra vite religiose limites implendis, v. g., de curandis religiosis pestiferis. At in dubio an res præscripta sit licita vel illicita, obediare debet, quia certa est obligatio obediendi et excusatio incerta, sicque conscientiam practice certam sibi efformare tenetur. Talis est communior sententia, ut videre est apud auctores a *S. Ligorio* citatos, l. 4, n. 47. Item ubi dubium est an res præscripta sit secundum regulam et constitutiones sui ordinis, propter eamdem rationem.

4º Superior habet jus præcipiendi non solum ea quæ sunt explicite in regula vel constitutionibus, v. g., abstinentiam a carnibus, jejunium, silentium, sed etiam ea quæ implicite in illis continentur, ut pœnas in transgressores, statuta ad earum observationem legitime condita; qui enim ad observationem regulæ et constitutionum se obligavit, eo ipso obligationem contraxit servandi ea quæ ad hunc consequendum finem sapienter statuta sunt vel præcipiuntur. Item præcipere potest actus internos,

non præcise ut tales, sed quatenus connexionem habent cum actibus externis quos legitime præcipit.

5º Regulares ex voto obedientiae tenentur obedire, in iis quæ concernunt regulam et constitutiones, non solum superiori suo immediato, sed 1º summo Pontifici, qui est primus omnium religiosorum superior; 2º congregationi episcoporum et regularium quæ a Sixto V fuit instituta, tanquam supremum tribunal pro bono regimine et felici gubernio omnium regularium; Innocentius XII alteram instituit congregationem pro regularium disciplina; 3º episcopo in iis in quibus jurisdictioni ejus subjiciuntur.

6º Moniales obedire tenentur, vi voti obedientiæ, abbatisse, priorissæ vel superiorissæ monasterii; quamvis enim feminæ jurisdictionis ecclesiasticæ ab ordine dependentis sint incapaces, nihilominus habere possunt facultatem nomine Dei gubernandi, dirigendi et præcipiendi, quia, juxta omnes, potestatis dominativæ et præceptivæ sunt capaces: unde superiorissæ recte constitutæ monialibus sibi subditis præcipere possunt sub peccato mortali in re gravi.

7º Licentia superiori ab inferiore negata, a majori valide et aliquando licite concedi potest, quamvis raro id expediat: si vero a majori fuisset negata, ab inferiore valide concedi non posset, nisi inferior negationem superioris majoris ignoraret et licentia in bona fide peteretur, aut legitimate præsumeret superiorem non habuisse intentionem ipsius facultatem restringendi.

8º Quæ huc usque de voto obedientiæ in solemni professione emiso diximus, applicari debent etiam voto simplici quod emititur in piis congregationibus non solemniter approbatis, cum eo tamen discrimine quod in priori casu quæcumque vota, juramenta et promissa omnino pendeant a voluntate superiorum qui ea pro nutu, sine distinctione, irritare possunt; in posteriori vero casu, vota in favorem tertii cum promissione emissa, cum essent valida licet illicita, superiores ea directe non possent irritare: possent vero, ut nobis videtur, si non essent in favorem tertii aut nondum fuissent acceptata.

*De voto castitatis.*

Qui votum emittunt castitatis strictam sibi imponunt obligationem religionis ab omni voluntaria delectatione venerea, sive interna, sive externa, abstinendi, ita ut si postea castitatem lèdant, duo admittant peccata, unum luxuriæ et alterum sacrilegii. De duplice hoc peccato sufficienter diximus in dissertatione nostra in sextum Decalogi præceptum.

Votum solemne castitatis in eo differt a voto simplici, quod voventem reddat in perpetuum ad matrimonium *valide* contrahendum inhabilem, dum votum simplex illum reddat inhabilem ad *lícite* tantum contrahendum, nisi Ecclesia aliter expresse statuerit in casu aliquo particulari, ut fecit relative ad novitios Societatis Jesu.

*Punctum secundum. — De obligatione votorum religiosorum in Galliis.*

Quæstio ad hoc potissimum reducitur, an in præsenti rerum statu, vota apud nos emissa in religionibus olim solemniter approbatis, nunc habenda sint ut solemnia, an tantum ut simplicia. Patet gravissimam esse hanc quæstionem propter consectaria ex solutione ejus aut omnino aut maxime pendentia, tum quoad validitatem actuum proprietatis et impedimenti matrimonii, tum quoad obligationem clausuræ et divini officii, tum quoad votorum dispensationem.

Difficultas oritur ex dispositione legis civilis quæ nec solemnia nec perpetua agnoscit vota, nec ullam habet rationem votorum relative ad successiones, testamenta et quoslibet actus proprietatis, ut videre est in decreto 18 fev. 1809, art. 9 et 10; in lege 24 maii 1825, art. 5; in *Instructione ministeriali*, pro execuzione hujus legis, art. 52, ubi expresse habetur: *La loi n'interdit point aux religieuses la libre jouissance de leurs biens patrimoniaux et autres qu'elles possèdent, etc.*

Non solum lex civilis vota religiosa renuit agnoscere, quod per seipsum non impedit quin solemnia esse possent, sed impedit quin omne bonorum dominium, tum